

[344 §. x.] De regione ac moribus Canadensium, feu barbarorum Novæ Franciæ.

FLUMINA NOVÆ FRANCIAE; SOLI NATURA; FERÆ,  
PISCES, AVES, &C.

**D**UO sunt in Nova Francia majores fluvii. Unus ab indigenis Canada nominatus, & à quo tota regio nomen traxit, nunc fluvius Sancti Laurentii dicitur, & ab occasu in ortum amplissimo fluit alveo. Alter, cui nomen Mississipus, per vasta, & ignota magnam adhuc partem, terrarum spatia fertur à Septentrione in Meridiem. Habent hoc singulare hujus regionis fluvii, quòd certis in locis ex editiore solo præcipitant in humiliorem planitiem ingenti cum strepitu. Ea loca faltus vocant Franci. Cata-dupa recte dixeris, qualia in Nilo celebrantur. Aqua tota fluminis, in morem arcuati fornicis, ita sæpe cadit, ut infra suspensum altè amnem sicco vestigio transire liceat. Barbari, cum huc ventum est, suas naviculas, è levi compactas cortice, imponunt humeris, & in placidam fluminis, alveo depresso fluentis, partem eas deportant, cum farcinulis. Urbs novæ Franciæ primaria Kebecum nuncupatur, S. Laurentii fluvio imposita. Cœlo salubri tota regio utitur; at hyeme frigida, & diuturna vexatur. Hanc efficit partim fluminum & lacuum crebritas; partim opacitas & am-